Statŭs Mundi Inversus
In obitum
NEO-NUPTÆ
Post Nuptias soli fluxas ad Lætitias poli fixas deductæ
F E M I N Æ,
Cum Forma corporis externa, tum Virtutum singularium Elegantia excultissimæ
BENIGNÆ
NAT. **THOMASIÆ,**
V I R I
Prænobilissimi, Amplissimi ac Consultissimi
D O M I N I
JACOBI MEISNERI
Consulis Civitatis huius dignissimi,
Iudicis p. t. meritissimi
In vita olim Coniugis suavissimæ
exhibitus,
Et
Tam indocta crena, quam inculta vena paucis
descriptus
Ab
HENRICO REICHELIO,
Gymn. Coll.

T H O R U N I I,
Impressit Joh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typographus.

O Quam fallaces hominum ſpes, quamque doloſæ!
  O quam ſtant lubrico cuncta caduca pede!
O quam per tractus terrarum cuncta geruntur
  Inverſe! eventus ſæpius acta probat.
Inverſus mundi ſtatus eſt, inverſus & ordo,
  Tu ſaltim juſta lance relata tene.
Quin quod & ipſa ſiet natura diutina verſa
  His cum, quæ terris dat tribuitque ſuis.
Propterea quidam vere dextreque peritus
  Horum, poſtremo talia verba facit:
Pinge mihi notulis inverſis atque reflexis
  Hæc, te quæ jubeo, nec modo parce moræ:
HIC STATVS EST MVNDI. dubitas, quæ dico, probata?
  Atque fidem verbis forte negare ſtudes?
Quæſo, ſat ad notos Gallorum tendito fines
  Mecum, (ſed moneo, ne grave forſan iter.)
Et tibi monſtrabo fontem, qui montis ad ipſas
  Radices ſitus eſt, ac *Come* nomen habet.
Hic ſane miræ eſt naturæ: namque ſerena
  Æſtate inſolito frigore ſtringit aquas;
Contra, cum rivos mordax in marmora durat
  Bruma, liquor vivus dulcis & unda patet.
Exemplum ſatis eſt unum allegaſſe; ſed audi,
  Poſſem, ſi vellem, plura referre loca.
Verum perſvaſus, te contentum hocce futurum
  Vno, ſiſto pedem, nam via longa foret.
Et reduces ambo patriam veniamus ad urbem,
  Quæſo, quid hic luctus? quid dolor hicce jubet?
Dum campanarum ſonitus veſteſque doloris
  Contemplor, quicquam lugubre forte reor,
Aut quicquam inverſi: verum. Dominatur ubique
  Et natura potens, quin per eamque DEVS.

Ecce modo effertur muliebris vera Corona
  Sexûs, quod magis eſt: heu! Neo-nupta fuit,
Annis floreſcens, & florum denique nulli
  Quotquot ſint, cedens forte decore ſuo.
Hanc triſtis ſequitur viduus querulusque Maritus,
  Hanc ſequitur mœſtus ſollicitusque Pater.
Hanc univerſus comitatur & ipſe SENATUS,
  Prodens mœrorem triſtitiamque gravem.
Huic negat haut dives, negat huic nec civis egenus
  Obſequium præſens officiumque ſuum,
Et præmaturam mortem miratur acerbam
  Quilibet attonitus, dum *Neo-nupta* cadit.
Vix eſt ex cunctis minor annis hac *Neo-nupta*
  Vnus, & inverſo hæc ordine morte perit.
Ecce ſtatum mundi verſum penitusque reflexum,
  En jam quæ dixi, dicta probata vides.
Proinde nec eſt mirum, quod, VIR Dexterrime, ploras,
  Cum Viduus factus, qui modo Sponſus eras.
Nec mirum Tua mens quod vix ſolatia tandem
  Inter tot luctus accipere ulla velit.
Vix bis ter Phœbe plenum collegerat orbem,
  Cum thalami tædis vota ſacrata darem.
Et modo pro thalamo tumulum tua Sponſa ſalutat?
  Proque tori vinclis triſtia buſta petit?
Cantus feſtivi duros mutantur in hymnos?
  Funera dum mœrens exequiasque paras.
Ecce ſtatum mundi verſum penitusque reflexum,
  Naturæ & verſas inſtabilesque vices.
Vxor prima ſacro Paradiſo condita fertur:
  Vxor, quam luges, hæc Paradiſus erat.
Attendere pii Doctores, nomini hebræo
  (†) Vxoris ſanctum nomen ineſſe DEI;
Literam adhuc reliquam binam ſignare flagrantem
  Ignem, cujus vis æthera celſa petit.
Vxorem ad [mihi crede] Tuam bene quadrat utrumque,
  Corde DEUM ſervans IGNIS amoris erat.
Hinc (repeto,) mirum non eſt, quod plangis *Amicam*,
  Amiſſam vero, *Nectaream que Tuam*.
Aſt ad Te jam me, Vir Conſultiſſime, verto,
  Vrbs quem rite colit noſtra, *Patremque* vocat.
Nonne ſtatus mundi verſus, quin verſus & ordo,
  Natam dum matri dasque refersque Solo.
Debuit hæcce Tuos morituros claudere ocellos,
  Iſtius aſt ductus claudis amore pio.
Debuit illa Tuum comitari funus acerbum,
  Ordo fit inverſus, dum comitaris eam.
Quare non votis, ſed fatis vivitur usque,
  Non, ut mens hominum, eſt mens animusque DEI.

(†) אשה יה אש

Quæ proponit homo, diſponit ſæpe ſupremus
Et pro velle ſuo judicioque DEVS.
Hinc abeunt, redeunt plerumque hoc ordine fata,
Fati & ad imperium qui ſilet, ille ſapit.
Imbribus ora madent equidem, totusque rigatur
Vultus, quin triſtes ſtillat ocellus aquas,
Et quaqua verſum ſpectas, modo triſtia ſpectas,
Namque domi lacrymas angulus omnis habet;
Attamen his ipſis fatum irremeabile, quamvis
Omnia pertentes, tollere nemo poteſt.
Sæpius exclamas (†) *mea Nata! ab unica Nata!*
Quam miſere crucias cor animumque meum?
Interea minime revocata, ſed usque tenetur
Ipſa, ſemel poſtquam morte vocata fuit.
Hinc operam quoniam vacuam vacuumque laborem
Ambo datis, lacrymas quæſo inhibete graves.
Inprimis memores noti ſat lemmatis apti:
Cuncta *Trigonus* habet, cuncta *Trinunus* agit.
Poſtque cruces multas *defunctam* reddite Chriſto
Vxorem, Natam, nam dolor usque nocet.
Credite, quod, quæ vix fuit hic conjuncta Marito,
Æterum maneat Sponſa petita poli.
Dicite cum Jobo: [††] *Dominus dedit, abſtulit ille,*
Quod dedit, hinc Summo gloria magna DEO!
Atque piis manibus tandem illius addite vota:
Vxoris, Natæ molliter oſſa cubent.

(†) Jud. X. v. 35. (††) Iob. I. v. 21.

